

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ**

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira  
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Verna - A Dominica Septuagesimae, ad Dominicam SS. Trinitatis

**Haineuve, Julien**

**Coloniæ Agrippinæ, 1665**

Sabbato. De efficaci desiderio & cura salutis per media ordinata, sicut  
illam desideravit & curavit Christus mediator noster, qui propterea dicebat  
Patri, Pater quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44214**

nam, quæ fieri potest, injustitiam videtur facere.

In 3. Parte, Feria 5. 6. & Sabbatho Hebdomadae quinta.

Ex 1. parte, possent nonnullæ huc aliæ revercari.

Injuriam infert Gratiae maximam, qui pro ferenda injuria non certat fortiter.

In die sancti Stephani.

Inimici nostri magis prodesse possent odio, quam profuerint obsequio.

In die sanctorum Innocentium.

Injuriosum est Christo, si nulli quidem velis inferre injuriam, nolis autem illatam fecire.

Die 16. Ianuarii.

Ex hac 2. parte, quamplurimæ his affaires occurserunt in sequentibus Quadragesimæ hebdomadis, singulis pene feriis, quæ legendò percurri possunt, ac ipsa etiam Dominica Palmarum.

Nec non rursus ex 3. parte, quæ de Beatiudinibus exhibentur.

## SABBATO. DE EFFICACI DESIDERIO, ET Cura Salutis per media ordinata sicut illam desideravit & curavit Christus Mediator noster.

AD HÆC EIUS VERRA.

Pater, quos dedisti mihi, Volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam.  
Ivan. 17.

### VERITAS PRACTICA.

Si ordinatis ad salutem Mediis non uteris,  
Mediatore Christo abuteris.

RATIO EST, Quia tunc Mediatore Christo abuteris, quando frustra tibi de illo promittis.  
Sed si ordinatis ad salutem mediis non uteris, frustra tibi de illo promittis.  
Ergo & sic Mediatore Christo abuteris; Quod certè est exparvescendum.

### I. PUNCTUM.

Admiranda Vox illa, quâ Christus utitur loquens Patri, VOLO, Volo, inquit, ut illi sint mecum, Nec certè videatur esse vox proprii orantis & supplicantis Christi, qui, ut ait Apostolus, pro sua reverentia exauditus est, nisi aliquid mysticum & singulariter esset in illa voce. Sic ergo est, sic ex-

presè loquitur, sic sapienter ait se velle, ut intelligamus, quod à nobis intelligi maximè cupit, in quo positum sit verum desiderium seu voluntas efficax procurandæ salutis nostræ; nempe in his omnibus perfectè adimplendis, quæ ordinata sunt ad illam salutem procurandam. Cum enim proximus passioni ac morti suæ sic loquitur de salvandis, volo, pater, ut sint mecum, perinde est, ac si diceret, en paratus sum facere & pati, quidquid pro eorum salute à te est ordinatum. Vis me tradi & vendi ab uno è discipulis meis? Volo. Vis me tanquam latronem ligari, & trahi ad tribunalia judicandum? Volo. Vis me illic accusari, & condemnari velut reum? Volo. Vis me flagellis ut vile mancipium cædi? Volo. Vis me in purpurea ueste, & corona spinea velut ridiculum regem ludibrio ad omnem prorbus infamiam, ostentari? Volo. Vis me crucis supplicio condemnari, crucem propriis bajulare humeris, inter larrones crucifigi,

L 2

atque

atque in cruce per tres horas languere, derelinqui, & mori? Volo

Hoc est scilicet efficaciter velle, sic velle media ordinata quæcumque tandem illa sint.

Hoc est, quod ab ipso Incarnationis exordio ad extremum usque viræ terminum non deficit proficeri, quod regius Psaltes prædixerat:

*In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.*

*Hoc est denique, quod non modo sibi, sed & nobis ait in cum-*

*bere, ut si velimus efficaciter cum ipso esse in gloria, velimus etiam cum ipso esse in mediis observandis, quæ a Deo sunt ordinata ad illâ gloriam consequendam.*

*Quod quidem jam ante paucis dixerat sed efficacibus verbis;*

*Si quis mihi ministrat me sequatur, & ubi sum ego, illuc & minister meus erit; Nempe erit mecum in patria, si fuerit mecum in vita; Erit mecum in gloria, si fuerit mecum in ignominia; Erit mecum in fine consequendo, si fuerit mecum*

*in mediis ad eum ordinatis. Neque enim ego aliter salutis humana sum Mediator, quam obsermando media salutis promerendæ; sic neque ullus aliter salutem consequetur, nec*

*ulla spes in Christo alia, quam servatis servandis.*

Quod ut perpendas diligentius, & intelligas, quæstis sit ad salutem momenti: sic de re tota cogita, sicut proposita Veritate proposuitur, *Si ordinatis ad salutem mediis non uteris, Mediatore Christo abuteris.*

Est enim illud tantopere formidandum, ut certè persuasum haberes te abuti Christo, certè id nolles, & respicceres. Hoc est autem

persuaderi facilissimum, cum abuti Christo Mediatore nihil sit aliud, quam sibi frustra de illo promittere, vel peccatorum veniam, vel gratias, vel quidquid demum spectat ad salutem. Sic Hæretici & qui libertori vitæ licentia Libertini nuncupantur, sic dicantur abuti Christo, quando sic ejus meritis fidunt, ut sibi tam certò salutem tam ab illo pollicentur,

*Ecclesi. 57. ut ne quidem dubitare possint. O presumptio nequissima, o vana spes impiorum, que tanquam lanugo est, que à vento tollitur, & tanquam spuma exacalis, que à procella dispergitur, tanquam fumus, qui à vento diffusus est!*

*Lap. 5.*

## IL PUNCTUM.

**S**ED si ordinatis ad salutem mediis non uteris, frustra tibi de illo sic promittis.

Quid enim tibi ab illo promittis, nisi quod ipse promisit se daturum? At quomodo & quâ conditione id promisit? Nonne ut ordinata quædam media observares? Nonne tibi opus est Fide & Charitate? Nonne Sacramentis & bonis operibus? An te putares sine Baptismo vel Pœnitentia fore salvandum? Et ubi vox illa Christi: *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes Luc. 13.* Similiter peribitis. *NISI conversi fueritis & efficiamini scutum parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Nonne hæc sunt media ordinata? Nonne hæc sunt observanda? Nonne is presumat, qui aliter speret; cum præsumptio nihil sit aliud, quam inordinata spes, neque alii. *2. 2. 9. 11.* ter spes sit inordinata, quam quia non servat ordinata?

## III. PUNCTUM.

**S**i ordinatis igitur ad salutem mediis non uteris, Mediatore Christo abuteris; quia videlicet tibi de illo frustra promittis, quod non sequeris: & dum interea vanè confidis in ejus Nominis, quia Mediator est, quia Salvator est; hoc lacro nomine tam verè abuteris, quam verè tibi nihil proderit, sicut nihil eis profuit, quibus Apostolus, *Ecce, inquit, ego Paulus dico Gal. 3. vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit: Evacuati es sis à Christo, & Gratia excidisti.*

Quis hic animi tui sensus! quænam sunt tibi Media ordinata ad salutem, & perfectiōnem? Nam præter generalia & communia omnibus, quædam sunt unicuique particulaaria, ut pati & humiliari in certis quibusdam casibus, qui à divina providentia procurantur; Quoniam, ut ait Sapiens, *In igne probatur Ecclesi. 1. aurum, & argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis.* Quænam sunt tue probationes & humiliationes? quomodo in his te geris? an tūm putas agi de salute tua, quando hæc occurrunt occasionses tui palam humiliandi & probandi? Num audivisti, *Num. 10.* quid acciderit Mosis, quid Sauli, quid multis *1. Reg. 13.* aliis, qui graviora sibi intulerunt dampna, *15.* quam purarent, ex non obserbatis quibusdam observandis?



§. Petrus.  
Jan. 3.  
Si Petrus modestè recusanti, sibi à Christo  
pedes ablui, tam certè affirmavit Dominus si  
non la vero te, non habebis partem mecum: quid  
de aliis ab eodem tibi ordinatis credendum  
est, quæ longè majorem cum salute tua con-  
nexione habere viderentur? Quid erat illud  
abluī vel non ablui pedes? At non respicitur,  
quid sit præceptum, sed Quis præcipiat? Ita-  
que, Omne quod tibi applicium fuerit, accipe, &  
in dolore iustine, & in humilitate tuus patientiam  
habe. Vide quod reliquum est capitis annota-  
tū; & illud etiam atque etiam revolute: Non  
deflectatis ab illo, ne cadatis.

Ludes 2.  
Quæ porro Veritates aliunde peti possint  
ad istam illustrandam, hæ sunt inter alias:

Quo in cœlis corona vultu, hoc in terris Ca-  
lix sumendus est.

In hac 2. Parte, Feria 5. hebdomada 2. in  
Quadragesima.

Quantam in te vim habet desiderium Regni  
cœlestis, tantam tibi vim facies.

In eadem parte, Feria 2. hebdomada 5. post  
Pascha seu Rogationum.

Qui non servat Consilia, quia non sunt præ-  
cepta, nec ipsa etiam præcepta servabit.

In 3. Parte, Feria 2. hebdomada 5.

## PRO EADEM FERIA. QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de Discipulis laborantibus in remigando: Et de fiducia in Christo habenda.  
Marci 6.

### VERITATES PRACTICÆ.

Vera Fiducia Confidenti nunquam infida.

In hac 2. Parte, Feria 3. hebdomada 4. post  
Pascha.

Qui non satis audet in magnis, nimis audet  
in parvis.

In eadem 2. Parte, Feria 5. hebdomada Pen-  
itentiales.

Non certius in spem itur, quam contra spern.

In 3. Parte, Feria 3. hebdomada 7.

Videri & debet quæ de hoc Evangelio mag-  
gis expressa haberet Consideratio, ubi ex oc-  
casione Petri ambulantis supra mare & in il-  
lud dilabentis, proponitur hæc valde Practi-  
ca Veritas:

Res adversæ non possunt quemquam deiice-  
re, nisi se his prius velleret subjicere.

In 3. Parte, Feria 4. hebdomada 13.

L 3

DOMI-

